



2b. 15



58
6P

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ
GREGORIUS
FRANCUS,
SS. Theologiæ Doctor
& Professor P.

Ad
NATALITIA

*Salvatoris nostri devotè conce-
lebranda*

&

*Animi gratitudinem erga vene-
randum ministerium decla-
randam*

Reip. litterariæ cives humaniter
invitat

*ad d. VIII. Kalendas
anni*

1715 1715 CXXV.
auspices.

Typis Michaëlis Kochii.

LECTOR

ACADEMIAE HANNOVERIANAE

GEORGII

FRANCIS

SS. Theologiae Doctor

& Professor P.

Ad

NATALIA

Diebstahl

1774

8

in gratia

restitutionem

1774



Rip. litterariae civis humaniter

in

ed. A. VII. & aliorum

anni

1774

supra

Episcopus



Erpes IN EXCELSA Jovæ sit
GLORIA sede,
In terris, Martem spirantibus un-
dique, PACES,
Atq; piis hominum sæclis pro-
penſa VOLUNTAS.

Qui sine matre Patris sub
pectore nascitur olim

Par similisq; DEO, veniens de culmine cæli,
Patre sine, intacta de Virgine, nascitur Infans,
Omni labe carens genitrici; cetera totus
Os humerosq; homini similis. Res mystica! Carne
Destrate caro, de nostris ossibus ossa est
Nostra auctor carnis. Qui tempora sufficit ævo,
Ortus atq; expers obitus, hic subditur ævo
Exoriturq; orbi, nigrorem ut mortis obiret:
Ipse Opifex operis fit opus. Fit Virgo genitrix;
Serva suum Dominum, mundi paupercula Regem,
Et Sponsa Sponsum, genitorem filia, gignit.
Nutrimentum nutritrix & alentem lactat alumna
Obstetrix, eadem nutritrix est, virgo, parensq;
Ultq; Creatorem, Dominum, Natumq;, Patremq;
Enixa est, mirum! casula res inter egenas,
Infantem excipiunt præsepe, crepundia, panni.
Non torus hic gemmans pulchrisq; tapetibus auctus

A 2

Non

Non aulea nitent Babylonica. Partio nullis
Cura est vicinis. securo nascitur orbi,
Quem toties votis, quem tunc vocaverat. alto
Corde tumens fastus, Messiam, gentis Hebrae,
Nosse sibi erubuit tecto sub paupere natum.
In censum Augustus deferri nomina mandat:
Confluit en dicto citius gens omnis in urbes
Judææ, passimq; patet domus hospita multis
Millibus. Hunc puerum præsepis sola manebat
Mille domos inter. Syrii profitentur ad unum
Omnes, indictos Augusto pendere census:
At mundi Domino, vitam cui contulit idem
Imperiumq; dies, ecquis sua nomina pandit?
Ecquis latifico venientem in propria Regem
Excipit amplexu? vel debita basia figit?
Cur alienigena, infelix Judæa propago,
Subiecta scepro, Regem tibi neglegis ortum?
Bucera secla suos, nec non pecus omne, magistros
Noverunt, dominiq; ultrò mandata capessunt;
Notaq; pandus heri præsepia quærit a sellis;
Tu Judæa truci mentis caligine mersa
Sponte nihil Dominum agnoscis natumq; Regentem:
Stultior Herode, regno insidente peregri,
Qui cadem Pueri puerorum mille ferina
Cæde petens, solio graviter metuebat iniquo.

Sed

Sed dum spernit homo, humano quem propter in arvo
Factus Homo DEUS est, miles gratatur Olympi
Innumerus Pueri, Naturaq; mater adorat.
Lux sine Sole suo, tenebris sine fulgida Nox est,
Quatantum custos numerabilis, utpote parvus,
Sub Jove rura gregem pascens per devia, longe
Est circumfusus, Pueri, gregibusq; relictis
Visendi excitus studio ad cunabula venit,
Venit, & aspectans vultu Mariamq; Josephumq;
Alterno & Puerum, praeunti calite cantu,
Perpes, ait, JOVÆ IN CELSA sit GLORIA sede,
In terris, Martem spirantibus undique, PACES,
Atque piis hominum sæclis propensa VOLUN-

TAS.

Visa etiam Eois, medio, mirantibus audax
Stella, die, dubitanda nihil, nec crine retuso
Langvida, nec quantum numeratur nocte Bootes,
Sidere sed Phœbes, & Phœbi clarior orbe:
Quâ ducente Magi procul ex Oriente profecti
Aeterni instinctu subiere mapalia Patris,
Succiduoq; pii venerantes poplite cunas,
Tergemino Mariae mactarunt munere natum,
Auri opibus, myrrhae lacrimis, & turis acerrâ,
Ut patriis exul jussus secedere terris,

A 3

Herode

Herode ferro bacchante, viatica haberet.

Nunc & vestra Salus agitur, studiosa Iuven-
tus,

Et vobis natus Puer est, datus unicus unis

Filius est vobis: vestro sub pectore cunas

Quarit & hospitii requiem. Detergite sordes,

Quod pietas poscit Fideiq; professio vestra:

Deteresi fores nascenti pandite cordis.

Natus Homo DEUS est, hominis nova factus imago,

Enectos homines propter: Homo corde renascens

Ut redi viva DEI fieret nascentis imago.

Est hodie natus Puer: ô, pueri indue mores

Innocuos hodie. Cras, Cras, ingrata cuculi

Vox est, quam properè consultum est velle renasci.

Cui serò minus est hodie desvescere noxis,

Cras minus atq; minus serò est desvescere noxis.

Infans fit V E R B U M. Crede hoc, nec quomodo

Verbum

Infans sit factum, ratio scrutarier ausit.

Eccur abstrusas quæris sapientia causas?

Nil quicquam hic rationis habet rationis acumen.

Sat rationis habet ratio, si credat, IESU Mq;

Addiscat tantùm Scripturæ ex indole. Purâ

Concipe mente DEUM: Prodit de Virgine purâ,

Ne Satana nubas scortoq; libidinis, estu

Si fla

Si flagrante furis dire cuppedinis, igneque
Incesto, nascentis amor deletur IESU.
Virginea vult mente capi, captusque teneri.
Nascitur in tenebris, inembras de corde serenâ
Et ferrugineo dispellat luce tenebras
Fons lucis. Vigiles pecoris per rura coacti
Custodes noctu, fulgore simillima Solis,
Lux Domini clarat: Somno vinoque sepultos
Non circumvestit caelestis Gratia lucis.
Mens operata DEO, mens sacro operata labori
Hunc recipit Puerum, Pietatisque impetus ardens
Detinet, ac curâ semper vigilante recondit.
Quo major nemo est, humili sub culmine pauper
Nascitur in mandra: domibus quid homulle super-
bis?
Factus Homo DEUS est, te hominem quo noscere
discas.
Debile quid corpus fulgenti obnubis amictu?
Vane, quid in templis araque crepidine ponens
Formarum effigies, auro gemmisque superbas,
Mendico illudis Pueri, Puerique Parenti?
Non aurum ille hodie, non myrrham, aut tura repo-
scit.
Quin de auro fer dona tuo famulantibus Ara.

Christo

Christo funde preces calidus, peccataq; desle,
Sic myrrha stacten, turisq; adolebis odorem.
Vix natus Phariis in sedibus exulat: Hujus
Exulis esto comes: rursus comitabit euntem
Auxilio, laribus Patria si exegerit hostis.
Hic Pater & Patria est, tecum quocunq; sub axe est.
Hæc meditanda tibi, Pubes, facienda diebus
Hæc natalitiis. Nova qui miracula fingit,
Plures ille boves subjungit bubus, asellis
Atq; asinos, nato tabule quos undiq; muta
Servitum Infanti flantes ivisse loquuntur.
Tantum verba sonent divina: relinque profanis
Vana, & cœlicolum cantu oblectare sacrorum.
Perpes IN EXCELSA JOVÆ sit GLORIA sede
In terris, Martem spirantibus undique, PACES,
Atque piis hominum sæclis propensa VOLUNTAS.

P. F.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

58
6P

OR

COFURTANÆ

RIUS

CUS,

ia Doctor

or P.

LITIA

devotè conce-

em erga vene-

rium decla-

es humaniter

Kalendas

XXV.

s.

lis Kochii.

Inches

Centimetres

